Quaestiones physiognom...

Richard Foerster

1890.

DIEI NATALIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

GERMANORUM IMPERATORIS REGIS BORUSSIAE

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

RICHARDO FOERSTERO

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXVII MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXXXX

IN MAGNA AULA HORA I POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS.

INSUNT RICHARDI FOERSTERI QUAESTIONES PHYSIOGNOMONICAE.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA
EX OFFICINA SCHMIDTII ET KLAUNIGII
1890.

1890, Dec. 12.

Museum of Comp. Zoöl.

Quaestiones physiognomonicae.

I.

Crescit quidem in dies numerus anecdotorum, sed sunt inter ea etiam, quae hoc nomen non mereantur. Ita anno huius saeculi LXII Eduardus Taubius dissertationi inaugurali, quae inscribitur „tractandorum scriptorum Graecorum physiognomonicorum praeparatio", subiecit „ineditum Aristotelis ad Alexandrum de physiognomonia e lib. ms. Paris.", quae erat clausula Secreti Secretorum, operis quod saeculo decimo quinto et sexto haud minus decies prela exercuerat.[1] idem paene accidisse nuper vidi viro doctrina plerosque superanti, Valentinum Rosium dico, qui in Anecdotorum Graecorum et Graecolatinorum fasciculo primo ‚Apulei Physiognomoniam' publici iuris fecit, quae iam tribus ante saeculis, atque id quidem e parte melius, typis mandata est. quem si quis propterea neglegentiae incusare vellet, me quidem haberet acerrime obloquentem. plane enim illa editio latebat ac ne titulo quidem quid contineret professa est. nihil igitur est nisi ut laeter, quod eam repperi, dum res in eo est, ut novam editionem foras mittam, iisque qui opitulati sunt, ut reperirem, grates quam plurimas agam. quamquam denuo apparuit nihil inexploratum relinquendum esse ei qui criticam editionem operis paret, praesertim si hoc paucorum curas agitavit. quoniam autem hac editione e tenebris protracta etiam cognitionem nostram physiognomoniae quae fertur Aristotelis et Polemonis augeri contendo, non solum qua ratione eam reppererim breviter narrare iuvat, sed etiam me non carbonem pro thensauro invenisse probandum erit.

Corpori scriptorum physiognomonicorum ultimam manum imponenti denuo mihi occurrunt observationes Bonaventurae Vulcanii in ‚Adamantii Physiognomonica Romae anno MDXLV edita', quas ante aliquot annos e codice Lugdun. Batav. Vulcan. 29 fol. 50ᵛ et 51 descripseram. atque in his ad verba Adamantii p. 93ᵛ, 14 *ἐὰν δὲ καὶ τῶν τοιούτων καὶ τὰ κάτω τῶν ὀφθαλμῶν ἀποσχίζοιντο, ταῦτα κατηγορεῖ καὶ ἀναίδειαν, ἀδικίαν κτλ.* adnotatum repperi: „Antonius Molinius ita transtulit: *Si his signis accedat, ut inferior pars oculi id est cilium inferius ad malas prorsus vergat et separet cum libidine iniquitate.*" protinus intellexi haec verba non Adamantiana reddere, sed esse ipsius physiognomoniae latinae a Rosio editae p. 118, 5 sq. itaque Molinius hanc novit, nisi illa verba ex Alberti Magni de animalibus opere sumpsit. at hic ea non habet, cum omissa sint in archetypo classis codicum, e qua fluxit is, quem Albertus adhibuit. sed quis fuit Antonius Molinius et ubi haec verba praebuit? in reliquis notis Vulcanii nullum eius vestigium, nullum alibi. ecce haesitanti in memoriam venit titulus libelli, e quo aliquid saltem adiumenti sperari posset. Har-

[1] E numero harum editionum, quas in ‚Centralblatt für Bibliothekswesen' VI p. 14 sq. recensui, eximenda est quinta, quam oculis non lustraveram. hanc enim non ‚Secretum Secretorum', sed epistulam ad Alexandrum Ioannis Hispaniensis continere ex iis elucet, quae P. J. Wichner l. l. p. 218 ex exemplari bibliothecae Admontinae protulit.

lesius enim ad Fabricii bibliothecam graecam III p. 324 adnotavit „de Polemonis physiognomoniae versione italica a Paullo Pintio facta ac studio M. Anton. del Moulin edita Lugduni per Jo. de Tournes anno 1590 copiosius disseruisse Paitonium in bibliotheca degli autori antichi-volgarizzati tom. III p. 173 sq.“ Paitonius autem l. l. s. v. *Polemone* nihil nisi haec habet: „Fisonomia di Polemone con grandissima brevità raccolta dai Libri di Antichi Filosofi, nuovamente fatta vulgare per Paulo Pintio et per la diligenza di M. Ant. del Moulin messa in luce. In Lione per Giovan de Tournes 1590 in 8. Argellati che aggiugne: „A Madama Catharina de Medici, Regina di Francia è dedicato il libro, ed il Traduttore dice d'aver tolto il tutto da Loxo Medico, da Aristotele, e da Polemone Declamatore, e di aver lasciate le voci Greche, come le ha trovate, ove la interpretatione gli è parsa difficile.“ unde sane hunc librum a physiognomonia latina pendere apparuit ultima verba ab Argelatio allata comparanti cum huius prooemio (p. 105, 1 R. *Ex tribus auctoribus quorum libros prae manu habui, Loxi medici, Aristotelis philosophi et Polemonis declamatoris, qui de physiognomonia scripserunt, ea elegi quae ad primam institutionem huius rei pertinent et quae facilius intelligantur. sane ubi difficilis mihi translatio vel interpretatio fuit, Graeca ipsa nomina et verba posui*), etsi magis subiit mirari, quod hic liber Polemonis nomen prae se ferret, qui revera physiognomoniae latinae fons est potissimus. nihil igitur antiquius habebam, nisi ut huius libri copia mihi fieret, qui etiam a Graessio [1]), titulum illo quidem e Paitonii bibliotheca repetente, in rarorum et pretiosorum numerum relatus est. at in nulla bibliotheca repperi. ne in Lugdunensi quidem eum extare Omontius mihi scripsit. denique singulari Caroli Castellani, praefecti bibliothecae Marcianae, benevolentia atque industria factum est, ut notitiam saltem, quae mihi satis faceret, libri acciperem. is enim liberalissime ubi per singulas bibliothecas publicas Italiae quaerere suscepit, eum inventum esse mihi nuntiavit in bibliotheca nationali Mediolanensi Braidensi, cui donatus sit ab Angelo Durini cardinali, ut eluceat e scheda involucro agglutinata (Bibliothecae Braydensi Ang. M. Card. Durini D. D.), et mox non solum titulum et dedicationem describenda, sed etiam omnia quae libello continentur excerpenda curavit. talem in modum libellum didici habere titulum: *Fisionomia | con grandissima | brevità raccolta da i libri | di antichi Fi|losofi, | nuovamente fatta volgare per Paolo | Pinzio. Et per la diligenza di M. An|tonio del Moulin messa in luce | In Lione, | Per Giovan di Tournes | M. D. XXXXX. | avec Privilege du Roy pour dix ans*, errore igitur contineri sive Paitonii sive eius qui huic pro auctore fuit, et Polemonis nomen et annum 1590. dedicatus est libellus „Alla Illustrissima, Virtuosissima, et Cristianissima Principessa Madama Catarina di Medicis, Regina di Francia“, dedicatio autem subscripta illa quidem „Di Lione al primo di Marzo 1550“ neque Pintii neque Molinii mentionem facit nec quicquam memorabile continet. sequitur index *(Somma di tutto 'l libro per i capitoli)* et hunc opus ipsum inscriptum *Fisionomia naturale* et capitibus 66 paginisque 109 numeratis comprehensum. caput primum incipit: *Capitolo I. Di tre Autori, i cui libri ho io havuto per mano, di Loxo Medico, Aristotele Filosofo, Polemone Declamatore, i quali hanno scritto della Fisionomia, ho io raccolto quelle cose, le quali alla prima institutione di questa cosa s' appartengono, et agevolmente s' intendono. Ma dove la trallatione overo interpretatione mi sia parsa difficile, porrò essi nomi et parole grecche.* caput ultimum incipit: *Dell' huomo furioso et libidinoso. Cap. LXVI. L' huomo peloso di capelli neri* et desinit: *i quali imitano i fatti et detti altrui* (cf. p. 160, 25 not. Ros. *Homo hirsutus capillis nigris*—

[1]) Trésor de livres rares et précieux t. V p. 387.

furiosus erit pronus in libidinem, studiosus pantomimorum et maledicus). his verbis succedit pag. 109 subscriptio: *Il fine del libro di conoscer la diversa natura dell' huomo, come dalla qualità de corpi, ella fu ritrovata da gli antichi* et in tergo huius paginae nota typographi: *Stampato in Lione per Giovan | di Tournes à di V | di Marso | M. D. XXXXX.* opus nihil aliud nisi interpretationem italicam physiognomoniae latinae esse vel ea quae speciminis loco proposui legenti patuerit; ordo autem capitum qui cum codicibus Ashmoleano (A) et Berolinensi (B) consentit Paulo Pintio interpreti exemplar eiusdem classis praesto fuisse demonstrat. cum autem praeter duos versus Vergilii *Mopse novas incide faces, tibi ducitur úxor | Sparge marite nuces, tibi deserit hesperus Oetam* (cap. LI = p. 154. 6 R) nihil latini in libello inesse Castellanius diserte testatus sit, illud exemplar, quo non solum Pintius, sed etiam Vulcanius usus esset, adhuc latere cognitum est. quod non diversum esse a libro quem Fuellebornius[1]) et Graessius l. l. t. IV p. 570 laudaverunt (Molinius, De diversa hominum natura prout a veteribus Philosophis ex corporum speciebus reperta est, cognoscenda liber, Lugduni apud Joannem Tornaesium 1549 in 8°) iam proclive erat suspicatu, sed liber ipse difficilis ad eruendum e tenebris. frustra fuit Castellanio iterum humanissime bibliothecas patriae adeunti. itaque praeter omnem exspectationem evenit, ut ipse in bibliotheca regia Berolinensi invenirem. titulus libri hic est: *De diversa | hominum natura, | prout a veteribus Philosophis ex corporum | speciebus reperta est, | cognoscenda | liber, | Antonii Molinii Matisconensis diligentia nunc primum in lucem emergens. Lugduni, Apud Ioan. Tornaesium. MDXLVIIII. Cum Privilegio ad decennium.* e dedicatione praeter inscriptionem: *Nobiliss. viro | Francisco Pucrio A | Benaistaya Andegauensi, Antonius | Molinius Matisconensis | s. p. d.* et subscriptionem *Lugduni in aedibus Ioannis Tornaesii, Calendis Februarii, Anno a Christo nato, M. D. XLIIIIV* ea tantum quae de ortu libelli nos certiores faciunt in has chartas transferre visum est: sunt autem haec:

(p. 6) *Quare Mecoenas* (sic) *Illustriss. cum iampridem in vetustum manu scriptum libellum, cumque anonymum incidissem, qui hac de re non contemnendas, et Laconismo quodam perstrictas traderet rationes, non potui non Physiognomiae* (p. 7 inc.) *studiosis, et tibi praesertim cum aliarum artium, tum huius imprimis curioso, hanc meam in evulgando opellam communicare alienissimus plane ab illorum ingenio, qui vetera omnia nondum in lucem emissa domi supprimentes, summo nonnunquam literarum emolumento studiosos fraudant: et, quod gravius est, ea sibi saepenumero vendicant, suoque nomine in vulgus edunt, quae aliorum non aestimandis sudoribus sunt conquisita. Erit fortasse, ubi concisas plus aequo hic reperias aliquando sententias, et nonnullas, Graecarum praecipue vocum salebras, quas ne latum quidem unguem ab archetypo deflectentes, mutilas potius relinquendas duximus, quam de nostro substituentes remotas interim, aut alienas (ut varium hac in re multorum est iudicium) autori sententias invehere. Tu quo es ingenuo animi candore hoc nostrum studium aequi bonique consulas velim, cuius nominis auspicio hunc incerti autoris libellum in publicum emitto: ut si qui forte, quod haec veluti nostra publicemus, aut inanem his impenderimus operam, nos calumnientur, tua autoritate repressi, aequiore censura rem expendant, ac quod obviis offertur manibus, grato tecum excipiant animo, illoque, quale quale est, fruantur.* pagina 9 incipit opus ipsum inscriptum: *De physiognomiae ratione libellus ex veterum Philosophorum monumentis summo compendio collectus*, et desinit pag. 107: *studiosus pantomimorum, et maledicus.* sequitur subscriptio: *Finis libri De diversa*

[1]) Beyträge zur geschichte der Philosophie VIII p. 126.

hominum natura, prout a veteribus Philosophis ex corporum speciebus reperta est, cognoscenda. in pagina ultima (108) est nota typographi: ***Lugduni Excudebat Ioannes Tornaesius Typographus XV. Calend. Martii, anno a Christo nato, M. D. XLIX.***

Opus igitur ab Antonio Molinio Matisconensi [1]) editum physiognomonia est latina, codex autem, e quo promptum est, eiusdem fuit classis, cuius sunt codex Ashmoleanus (A) et fragmentum codicis Berolinensis (B). consentit enim cum his et in lacunis et in ordine, quo partes operis se excipiunt. omisit enim Molinius cum A B verba ***et brevius*** p. 107, 22; ***usque*** p. 107, 23; ***feminino generi*** p. 108, 4; ***ad Syrorum qui sunt*** p. 113, 4; cum A p. 120, 6 — 134, 2; p. 134, 11 inde a ***σπασμοι labiorum*** — 16 ***somno est deditus;*** p. 134, 18 ***crassae nares*** — 19 ***ita sunt;*** p. 136, 3 ***cervix*** — 4 ***praedicat,*** et praebet cum A B finem inde a p. 161, 1 post 120, 6 et cum A p. 134, 3 — 160, 25 post 169, 23. sed codex Molinii (= Mo) neque parens neque propago alterius utrius eorum codicum est. multa enim in eo deerant, quae in his extant, ut verba ***qui speciem ex vasculo*** 105, 16; ***aut se praemunientem — et praecaventem*** 111, 19, et in lectionibus modo cum B, modo cum A, modo cum neutro facit. archetypus, unde A B (= u) fluxerunt, ad eundem fontem (= t) redit, e quo Mo manavit; t autem ad eundem codicem (= s), e quo codex Leodiensis (= L), s autem ad eundem archetypum (= o), e quo parens familiae decurtatae atque interpolatae (= x) manavit, quae codicibus Amploniano Fol. 378 (= E), Cottoniano Galb. E IV, (= C), Sloaniano 3469 (= S), Harleiano 3696 (= H) continetur [2]).

E quo stemmate etsi primo obtutu Mo non ita magni aestimandus videtur, tamen pretium eius maius apparet reputanti primum B codicem maxima e parte mancum nec non mendosum esse, deinde A propter summam librarii incuriam vitiis scatere, denique L, etsi non, qualis in x familia, manus interpolatrix in eo grassata sit, tamen temerariis mutationibus minime liberum esse, librarium vero codicis Mo munere suo religiosissime functum esse.

Sunt sane, quae talem aestimationem dissuadere videantur, lectiones dico, in quibus Mo solus cum x faciat. sed accuratius examinatae hae non probant Mo codicem x familiae attribuendum esse. primum enim numerus earum parvus est nec multo maior quam earum, in quibus A solus cum x concinit. [3]) deinde tales sunt, ut ad illam opinionem permovere non queant — nonnullae enim genuinae sunt, ut ***ungues*** p. 140, 8, quae vox, cum in illo capite frequentissima sit, facillime in L et A codicibus excidere potuit, ut etiam in Harleiano codice excidit, qui x familiae est. plures vero peccatis continentur, in quae facillime diversi librarii incidere potuerint, ut voculae omissae ***a*** p. 137, 17; ***satis*** p. 119, 22; ***nimium*** p. 143, 14 vel lectiones quales sunt ***arguunt*** pro ***arguuntur*** p. 134, 6; ***fortes*** pro ***furtis*** p. 139, 9. denique consensus qui in quibusdam lectionibus cernitur, ita explicandus est, ut duae lectiones fuerint in s archetypo, quarum unam L et u, alteram Mo receperit [4]). ad quod probandum maxime idonei sunt duo loci, quippe quibus vestigia lectionis duplicis etiam in L et A codicibus adhuc pateant: p. 109, 27 enim ***denique signa plurima ad similitudinem animalium refe-***

---

[1]) Alius fuit Antonius Molinus, auctor carminis inscripti „I fatti e le prodezze di Manoli Blessi Strathioto" Venetiis anno MDLXI a Ludovico Dolce editi et a Satha (Documents inédits relatifs à l' histoire de la Grèce t. VIII p. 471 sq.) repetiti. hic enim Venetus fuit, ut elucet ex initio praefationis: *Messer Antonio Molino, honoratissimo cittadino di questa città,*

[2]) Cf. quae in commentatione de Apul. quae fertur phys. recens. (annal. philol. suppl. XV p. 563 sq.) exposui.

[3]) A et x soli omittunt verba *refertur-ungues* p. 140, 5, *etiam* p. 147, 19 et praebent *tempore* pro *corpore* p. 148, 9.

[4]) Tales duplices lectiones in s archetypo fuisse certum est; cf. de Apul. quae fertur phys. recens. p. 574.

runtur Mo praebet, quod scribendum est: ***ad similitudinem animalium referuntur***, x: ***ad similitudinem animalium referunt***, A: ***hominum ad similitudinem pronuntiantur animalium***, B: ***ad similitudinem pronuntiantur hominum***, L: ***ad similitudinem hominum pronunciantur***, et p. 150, 6 Mo x
vel more
praebent ***in modum***, L: ***in modum***, *A*: ***more***. idem iudicandum est, si p. 112, 3 praebent L B: ***minuit*** (A ***iminuitur***), Mo x: ***intercipit;*** p. 149, 15 L A: ***in gutture***, Mo x: ***ingratus***; p. 150, 9 L: ***gaudentes malorum alienorum***[1]) et A: ***malorum gaudentes alienorum***, Mo x: ***gaudentes malis alienis***; p. 150, 5 L: ***morumque iustorum*** (A: ***morum iustorum)***, Mo x: ***horum et mores iusti sunt***; p. 150, 14 L: ***voces hominum similes sunt*** (A: ***vox hominum similis est)***, Mo x: ***voces similes sunt in hominibus***, denique si L A caput de unguibus p. 140, 3—12 post, Mo x ante caput de digitis p. 139, 12—140, 2 exhibent. videtur enim transpositio horum duorum capitum in s archetypo non revera facta, sed ut facienda indicata, itaque in L et u facta, in Mo autem omissa esse, nisi alterutrum caput in s archetypo in margine scriptum et hinc in diversos locos translatum esse statuere mavis.

Nec magis stemmati proposito obloquitur, quod multis locis Mo solus lectionem genuinam servavit. idem enim in L et, quamquam rarius, in A codices cadit, nec mirabimur quod numerus harum lectionum in Mo multo maior est quam in L et A. maiorem enim quam hi librarius Mo codicis curam egit, ut exemplar quam diligentissime redderet. huic igitur uni debentur lectiones *vultu* p. 109, 18 pro ***cultu*** (*tulto* A); p. 137, 1 ***stabilis ac defixa*** pro ***stabilis an*** (*at* A *et* E) ***defixa***; p. 148, 11 ***stultiores autem sunt*** pro ***stulti autem et acres sunt*** L, ***stulti sunt acres autem*** x); p. 149 8 ***vinolentiam*** pro ***violentiam;*** pluresque in ultima parte libri, quae in x et in B deest, ut p. 153, 5 ***aures*** pro ***nares;*** p. 153, 28 ***vocem*** pro ***voce;*** p. 154, 2 ***infulciatur*** pro ***infulciat;*** p. 154, 4 ***reductio oris*** pro ***reducti oris*** L ***reductoris*** A; p. 159, 11 et p. 163, 5 et p. 164, 23 ***inter*** pro ***in;*** p. 159, 19 ***cor*** pro ***os*** A (om. L); p. 159, 20 ***id*** pro ***et;*** p. 161, 2 ***ferociora*** pro ***facinora*** L B, ***facinorosa*** A; p. 165, 5 ***est*** pro ***esset;*** p. 165, 14 ***ad*** pro ***et;*** p. 165, 17 ***possis*** pro ***possit;*** p. 167, 9 ***quam quod*** pro ***quod;*** p. 169, 24 ***cum constituerit animum, terribile; cum timuerit, fugax*** pro ***cum constiterit, animum terribilem, cum timuerit, fingit (fugit*** A***)***.

Sed quamvis magnus sit numerus horum locorum, ad tantam aestimationem huius codicis, quanta a me facta est, non sufficeret, nisi multa, quae in reliquis codicibus exciderunt, solus servasset. quae omnia hoc loco enumerare quoniam longum esset, gravissima protulisse satis habeo.

Solus Mo praebet enuntiationem *idem* (Aristoteles) *dicit. qui tenuem et acutam habent narem, querulum esse, qui graece* ***μεμψίμοιρος*** *dicitur* p. 153, 20 ante *idem dicit, quibus origo narium tenuis est;* solus p. 158, 24 post *oculos habet qui impudenter intuentur* verba *cuius quatiuntur et circumvolant pupillae,* quae auctoritate Adamantii p. 440. 1 ***καὶ δονεῖται τὰ ὄμματα καὶ περιτρέχει*** firmantur.

De umeris postquam e Polemonis physiognomonia auctor latinus p. 138, 16—19 rettulit, e re esse duxit addere (cf. p. 152, 7) quae in Aristotelica physiognomonia nunc ita leguntur p. 811ᵃ 1 ***ὅσοις <οἱ> ὦμοι εὔλυτοί εἰσιν, ἐλεύθεροι*** (corr. ***ἐλευθέριοι***) ***τὰς ψυχάς· ἀναφέρεται δὲ ἀπὸ τοῦ φαινομένου (ἐπὶ τὸ φαινόμενον?), ὅτι πρέπει τῇ φαινομένῃ μορφῇ ἐλευθεριότης. ὅσοις δὲ οἱ ὦμοι δύσλυτοι συνεσπασμένοι, ἀνελεύθεροι· ἀναφέρεται ἐπὶ τὴν ἐπιπρέπειαν***, quae Mo ita exhibet: *Humeri*

[1]) Origo lectionis ***malorum alienorum*** in lectione varia ***aliorum*** pro ***alienis*** quaerenda videtur.

faciles bene discreti et absoluti honestatem indicant. referuntur ad ἐπιπρέπειαν. Humeri confracti et impliciti incongruenter referuntur ad ἐπιπρέπειαν, in quibus si *confracti* in *contracti*, *incongruenter* in *inhonesti* correxeris, nihil est quod desideres. minus integra sunt quae in A leguntur: *Humeri faciles et bene discreti et absoluti honestatem. Humeri n fracti et impliciti incongruentes*, etiam magis truncata, quae in L: *Humeri faciles bene discreti et absoluti honestatem indicant*, in x omnia desunt.

Simillima est condicio loci p. 142, 4 ubi agitur de Polemonis canone, qui nunc apud Adamantium ita legitur p. 384, 1 **Κυφὸς ἀνὴρ οὐκ ἀγαθός, εἰ μὴ ὑγρομέλεια αὐτῷ καὶ τὰ ἄλλα σημεῖα ἀστεῖα προσείη.** Mo haec habet: *Quorum dorsum incurvum est, si in molli corpore fuerit, quod superius ὑγρὸν nominari a Graecis diximus, non tam malum accipiendum est*, A: *quorum dorsum incurvum est, si in molli corpore fuerit, quod*[1]) *fruis metafren' a grecis nominari diximus, non tam molum accipiendum est*, L omisit verba *quod — diximus*, x praeter haec etiam *non tam malum accipiendum est.*

Etiam plus lucis affulget loco p. 163, 6 sq., quem plane mancum praebet L: *imae manus ac pedes (corr. e pedis) quod non uniforme est nec congestum, sed discretum, tamquam interrasum vel insculptum*, paulo pleniorem sed valde corruptum A: *sine manus ac pedis aut intelligendum est quod non uniformi est nec congestum sed discretum tanquam intra inscultum.* lectio Mo codicis est: *imae manus ac pedis γλαφυραί. γλαφυρὸν autem intellegendum est, quod non uniforme est, nec congestum, sed discretum, tanquam interrasum vel prosculptum*, quae sana est, modo *pedis* in *pedes* et *prosculptum* in *insculptum* corrigas.

Et plane in L et A codicibus deest finis descriptionis animosi **θυμώδους**, qui respondet verbis Pseudo-Polemonis p. 299 **καὶ ῥινῶν κοιλότης**, exceptis vocibus *et nares* p. 163, 2: qui suppletur lectione Mo codicis: *etiam aures in origine sua, id est, supercilia aliquanto inferiores*, quae corrigenda est in: *et nares in origine sua, id est super cilia, aliquanto inferiores.*

Pleraque autem haec supplementa ad graecas voces pertinent, quae maxima e parte in reliquis codicibus praetermissae sunt. ita Mo inseruit p. 105, 15 *per συμπάθειαν* post verba: *ceteri autem tam figuratricem corporis animam esse arbitrantur;* **χαροποὺς** p. 106, 22 inter *quos Graeci* et *vocant* et p. 157, 27 post *oculos humidos splendidos*, ubi Aristotelis p. 807 b 19 auctoritate firmatur; **ἰσχία** p. 107, 6 inter *ilibus quae a Graecis* et *dicuntur; quod Graeci μελάγχλωρον vocant* p. 151, 13 post *cum fuscior color pallori permixtus est*, ubi apud Adamantium p. 414, 6 minus recte **μελίχλωρον** legitur; **σφυρὰ** ante *sunt crurum partes imae* p. 143, 13; **ἀλαζὼν** inter *qui graece* et *dicitur* p. 108, 20; **λιχνὸν** inter *cibis suavibus deditum quod Graeci* et *vocant* p. 166, 24; **φιλεγκλήμων** inter *facile offenditur quod graece* et *dicitur* ibidem l. 25; denique *quem Graeci ἀλλοπρόσαλλον vocant* inter *levem et instabilem hominem* et *produnt* p. 145, 9, loco quem auctor latinus e Polemone sumpsit, Adamantius autem p. 419, 7 **γαστέρα καὶ στήθη ἐπὶ πολὺ κομῶντας κούφους καὶ ἀλλοπροσάλλους καὶ ἀσελγεῖς λέγε** expressit. quod hoc loco Adamantium in paraphrasi sua vocem a Polemone usurpatam retinuisse videmus, idem saepius in graecis vocibus a Mo servatis apertum fit.

Omnino sensum a voce **μυκτηρισμός**, quam pro *et quibus* Mo praebet, accipit locus p. 154, 2 *et quibus subsannatio vel aspiratio est narium et concussio prima ac reductio oris.*

---

[1]) Unde olim (annal. phil. l. l. p. 572) effeci: *quod superius per metaphoram a Graecis ὑγρὸν nominari diximus.*

Et medelam affert loco corrupto p. 154, 8 *motus corporis esse dicitur hoc vultu, qui frequentes sunt absque indignatione. igitur Aristoteles prohibet contingere ea loca quae non oportet* lectio Molinii: *motus σαρκασμὸς dicitur. hoc vultu qui frequenter sunt absque indignatione σαρκάζειν dicuntur. σαρκάζοντας igitur Aristoteles contingere ea loca quae non oportet*, ubi tantum *dicit* ex A post *Aristoteles* inserendum.

At timeo Danaos et dona ferentis. estne illud cuivis dubitationi exemptum, quod Molinius omnia ita praebuit, ut in codice invenit nec quicquam de suo commentus est? novimus fraudes illa ipsa aetate qua Molinii liber prodiit in Gallia commissas. audivimus sane eum profitentem nonnullas Graecarum praecipue vocum salebras ne latum quidem unguem ab archetypo deflectentem se mutilas potius relinquendas duxisse quam de suo substituentem remotas interim aut alienas auctori sententias invexisse. sed eo magis cavere debemus, ne fidem habeamus Sinoni.

Ac sane num etiam in rebus orthographicis exemplar ad amussim reddiderit, dubitare licet, quoniam scripturae quas constanter praebet *foemina, praehendo, set, conjicere, intellego, physiognomia* in reliquis codicibus non extant. sed in his quidem minutiis consuetudini aetatis suae plus quam exemplari tribuendum esse opinari poterat. item auctorem non ut reliqui codices *Palemonem*, sed *Polemonem* appellare poterat aliunde de huius nominis forma melius edoctus (quamquam num recte fecerit dubito. nam constans omnium reliquorum codicum scriptura *Palemon* digito mihi monstrare videtur ipsum operis auctorem genuinam nominis formam iam non novisse.) sed reliqua eum ut in codice suo invenit praebuisse quam maxime mihi probabile est. ac primum quidem propter vitiorum quae incorrecta reliquit copiam. neque haec tantum ad graecas voces pertinent, ut λόις pro κόσμιος p. 162, 14 *Honestas morum et tranquillitas hominis qui graece λόις dicitur*; ἀρτώπους pro αἰγωπούς[1]) p. 152, 12 *secundo constituit ἀρτώπους, quos magis glaucis proximos, albidiores tamen constituit;* οἰνώνους pro οἰνωπούς p. 113, 15 *capilli subnigri quos Graeci οἰνώνους dicunt;* θράσυλος pro θρασύδειλος p. 136, 12 *indicinm hominis cum timiditate audacis, qui graece θράσυλος dicitur*; ῥοιη pro ῥοικά p. 155, 3 *quorum crura incurva sunt, quae Graece ῥοιη dicuntur;* γρίπας pro γρυπὰς p. 135, 7 *curvae nares quas Graeci γρίπας vocant;* ἀδολέσχεις pro ἀδόλεσχοι[2]) p. 155, 4 *ἀδολέσχεις enim sunt otiosi homines;* ἀνασξιώδιον pro ἀνασπεῖλον p. 153, 14 *cum frons conpressior fuerit ad caput, quod Graece ἀνασξιώδιον dicitur;* διορθώμενον pro διηρθρωμένον p. 135, 1; 140, 16; 143, 9. sed etiam maior est numerus peccatorum in latinis vocibus, ut *Abedic* pro *Habet hic* p. 110, 23; *qui os* pro *quos* p. 155, 4; *vomentis* pro *vero mentis* p. 153, 3; *coloratiores* pro *color acrior* p. 157, 7; *monstrant* pro *non stant* p. 158, 27 *malae cuius monstrant supercilia*; *indignata* pro *inclinata* ibidem *cuius indignata est cervix; humidum* pro *timidum* p. 120, 2 *glauci et albi humidum et fugacem vehementer hominem nuntiant; verti* pro *veteres (veri B)* p. 109, 9 *tria genera verti instituerunt.* frequenter praebet *quiadum* pro *interdum* (p. 136, 23; 137, 8; 149, 13), etiam frequentius, velut 138, 7, *quod* pro *quidem* multaque alia vitia similia, quae statim corrigere potuit, si voluit. quin etiam ne dittographiam quidem tollendam curavit p. 169, 4, ubi post verba *signa conveniant* repetivit verba quae modo antecesserunt *in unum hominem* p. 168, 28 usque ad *et simiae signa.*

Causa autem altera, cur Molinii fidem in dubitationem vocandam esse negem, iis rebus

---

[1]) Ita enim scribendum est collato Aristot. hist. anim. I, 10 p. 492a 3 et gen. anim. V, 1 p. 779a 35.

[2]) Cf. ib. l. 6 *ἀδολέσχους Aristoteles dicit esse, quibus aures magnae.*

nititur, quas solus praebet. pars enim earum, ut iam dixi, Aristotelis et Adamantii auctoritate firmatur; pars autem omnino nova tantum abest, ut ullam suspicioni ansam praebeat, ut, cum plane eiusdem generis sit atque reliqua, omnem veritatis notam prae se ferat.

Quod ita se habere maxime propterea gaudebimus, quod spes codicis ipsius quem Molinius adhibuit recuperandi fere nulla est. quin etiam vel de fatis quae habuerit nihil certi statui potest. ne bibliothecam quidem, in qua eum invenit Molinius nominavit. possit sane quispiam conicere codicem fuisse eundem, qui anno 1338 erat in bibliotheca Sorbonnae hodieque est cod. Par. lat. 15685. neque enim dubitari potest quin *phisonomia Leschis* quae in catalogo illius bibliothecae anno 1338 concinnato [1]) in codice inter libros quadriviales vicesimo inesse dicitur, nostrum sit opusculum. sed iam titulus huic coniecturae obloqui videtur; nam codicem, in quem ipse incidisset, titulo privum fuisse Molinius testatur. cum autem opusculum de quo agitur hodie in codice Parisino iam non extet, res ad liquidum perduci non poterit.

Sed etiam Molinii editio usque ad hunc diem fere latuit. unum novi qui ea usus sit. quem, priusquam illam invenissem, satis mirari non potui, unde tot egregias lectiones nostro opusculo expiscatus vel suopte ingenio assecutus esset. est is Rodolphus Goclenius, medicinae doctor et professor in Academia Marpurgensi, qui opus de physiognomonia et chiromantia Francofurti anno 1625 prodire iussit [2]) sub hoc titulo: *Physiognomica / et Chiromantica / Specialia, / Hactenus Tanquam Se/cretissima suppressa, nunc vero pri/mum velut publicum bonum, naturalis / Divinationis Studiosis donata, et / in lucem emissa, / a / Rodolpho Goclenio / M. D. et Profess. in Acad. Marpurgensi.* cuius plurima pars nostri opusculi editionem Molinianam repetivit [3]). qua de re quaevis dubitatio tolletur animadvertenti etiam ea quae in exordio p. 12 inde a verbis *tum ad sanitatem hominum tuendam* usque ad p. 14, 5 *corpus quoque conforme sortitum* leguntur fere e Molinii praefatione p. 3—5 manavisse.

II.

Haud contemnendus est numerus locorum, qui talem in modum a Molinii editione medelam accipiant. at vel sic satis multi supersunt, qui manum emendatricem desiderent. quam nonnullis eorum commentatione, ad quam pluries provocavi, de Apul. quae fertur physiognomonia recensenda et emendanda admovere conatus sum. iuvat igitur nunc periclitari in aliis.

P. 106, 3 *corporis utriusque designanda indicia sunt, [et] si non omnia, ea tamen quae viam dare considerationis huiusce possint.* displicet verbum *dare*, quod in *pandere* mutare nullus dubitarem, etiam si non statim sequeretur: *ita et in physiognomonia propositis elementis latissima observationis huius via panditur.*

P. 106, 19 *capillus crassior, rubeus vel niger suffusus rubore.* duo ultima verba Rosio vel potius librario codicis S, qui *subfusus rubore* exhibet, debentur. Sauppius proposuit *subrubeus*, quod anteposita *vel* particula etiam in A codice extat, ut *vel subrubeorum* in B. sed etiam haec lectio con-

[1]) Publici iuris factus est a Delislio, le Cabinet des Manuscr. t. III p. 67.

[2]) Denuo ea prodiit *Hallis Saxonum Typis Iohannis Rappoldti Impensis Iohannis Naumanni Bibliopolae Hampurgensis 1652*, qua ego usus sum. priorem novi e Füllebornii Beytr. z. gesch. d. Philos. VIII, 136.

[3]) Nonnulla e Secreto Secretorum, velut quae de physiognomonia animalium p. 25 dicta sunt, e M II b ed. Ven. 1555 vel quae de auribus p. 59, ex O II b, alia, velut quae p. 23 de physiognomonia gentium dicta sunt, aliunde fluxerunt.

iectura continetur. proficiscendum est a lectione archetypi, quae fuit *sub rubore.* nam haec ipsa lectio est in Mo C E, et L praebet: *subrubore.* quae mutatione admodum pusilla emendatur in *cum rubore.* simillime noster dixit p. 107, 17 *color candidus vel cum pallore nigrior.*

P. 115, 3 *caput malleo simile ante ac retro imprudentem monstrat.* offensio quae inest in vocibus *ante ac retro* cum *malleo simile* coniungendis — nam quomodo caput ante ac retro malleo simile dici potest? — statim tollitur, si post *retro* inserueris *prominens* collato p. 162, 12 *quibus caput in modum mallei prolixum est et prominet ante ac retro, et quibus cutis oris tensa est, inverecundi sunt,* e quo loco simul consequitur hic *impudentem* cum A, non *imprudentem* esse scribendum.

P. 116, 8 *supercilia quae ex altera parte ad oculos demersa sunt, ex altera ad tempora subrecta, immundum stultum et insatiabilem indicant.* pro *demersa* scribendum esse existimo *demissa* collato p. 152, 24 *si prolixior et deorsum summissa (palpebra superior), infirmum atque imbecillem (ostendit).*

P. 118, 20 *oculi qui raptim et velociter moventur hominem perturbati animi indicant et suspicacem, verum in agendis rebus tardiorem.* particula *verum* offensioni est, quoniam inter *suspicacem* et *in agendis rebus tardiorem* nulla oppositio est. itaque cum Adamantius p. 331, 8 praebeat **ὀφθαλμοὶ κινούμενοι ταχέως ταραχώδη, ὑπονοητήν, ἄπιστον, μελλητὴν μᾶλλον ἢ δραστήριον δηλοῦσι** et versio arabica Polemonis fol. 6ᵛ *oculi non tardi motus perturbationem, pravam suspicionem, sinceritatis defectum et quod medium est inter ignavum et audacem notant,* pro *verum* reposuerim *varium.*

P. 120, 20 *alia autem varietas est quam circuli suo colore ac suo tenore quique ambiunt. inter se tamen idem circuli varie ordinati sunt.* neque *ambiunt* verbum neque *tamen* coniunctio recte se habere possunt. sensui ut satis fiat, prioris loco *habent,* alterius *enim* reponendum erit.

P. 124, 5 *diffluentes similiter doli et malignitatis signa sunt.* pro *doli,* quod Rosius in textu posuit, libri habent *doloris,* unde quin efficiendus sit pluralis *dolorum* non dubitabis, ubi comparaveris p. 122, 3 *dolis et obscuriori malignitati magis studentes*; p. 118, 15 *hominem dolis et audacia plenum*; p. 135, 21 *dolis assuetam mentem;* p. 144, 6 *invigilantem dolis;* p. 147, 5 *dolorum artifices.*

P. 124, 7 *si habeant supercilia lata tanquam genis imminentia et circa oculos pallorem atque livorem, impudentem malignum potentibus iunctum coinquinatorem negotiorum — declarant.* pro *coinquinatorem* reponendum quod in libris est *concinnatorem,* sed etiam *iunctum* in *inimicum* mutandum est annuente versione arabica Polemonis quae fol. 12ᵛ haec habet: *fuit igitur vir impudens crassa inverecundia seditiosus adeo ut contra eum qui potestatem habebat seditionem concitaret.*

P. 126, 9 *summam notam impudentiae ac malitiae proferunt.* etiam si non Adamantius p. 354, 7 praeberet **εἰς ἀκρότατα κακίας ἥκουσιν,** *summam* in *summae* mutandum esse censerem.

P. 126, 13 *qui autem intendunt acriter* (sc. oculi) *et sunt idem cavi.* pro *intendunt* scribendum est *intuentur,* ut ibidem l. 10 legitur *oculi acriter intuentes* eademque correctio adhibenda ibidem l. 25 *qui sicci sunt et subterintendunt* (**ὑποβλέπουσιν** est apud Adamantium) et p. 128, 19 *leniter intendentes* (**βλέπουσιν** Adam.). cfr. p. 158, 26 *oculi qui impudenter intuentur.*

P. 130, 15 *sed si quis imbutus his quae dicta sunt fuerit, sunt enim prope generalia, etiam meliora prospiciat atque perpendat.* verbum *prospiciat* cum *perspiciat* commutandum est, ut p. 134, 8 *(palam est autem providere tristem vultum et laetum) providere* cum *pervidere.* cf. p. 137, 9 *pervidebis.*

P. 131, 23 *nam mox etiam ad similitudinem animalis alicuius inspicienti ea quae diximus occurret ita in animo alium leoni alium pardo — esse similem* pro *ita* repone *tibi.*

P. 132, 6 *qui leoni est similis erectus iactans honoris laudis cupidus.* scriptura *leoni* a Rosio in textu posita tantum auctoritate codicum familiae interpolatae x nititur. L habet *eogo,* unde facile efficies *equo* collatis locis p. 148, 4 *qui umeros commovet, erigit tamen collum atque tendit, superbus et insolens rectissime indicabitur: est enim talis equorum incessus* et p. 165, 21 *equus animal erectum est atque exultans, in certando animosum, victoriae cupidum*; pro *lupo* autem l. 4 *(de eo autem qui lupo est similis, quod violentus quod fortis quod simplicior)* scribendum est *leoni.*

P. 136, 20 *aspera cervix eaque cristata non solum indocilem sed etiam insolentem declarat.* pro *eaque* scribas *tanquam,* qua re etiam maior fiet consensus cum Adamant. p. 392, 9 **τραχὺς αὐχήν, ὥσπερ λοφιά, ἀμαθοῦς σὺν ὕβρει.**

P. 143, 4 *ad pedes. infra igitur repetemus quae Aristoteles aliter posuit.* pro *infra* quod a Rosio profectum est, vestigiis lectionis librorum *ea* magis insistens scribo *postea.* verba autem quae sequuntur apud Rosium: *ergo idem dicit: pars cruris quae sub geniculo est posterior id est post suffragines, quoties plena est tanquam gravida, sordidum intemperatum impudentemque significat* e Mo sic corriguntur: **κνήμη** *ergo eadem pars cruris quae sub geniculo est posterior, id est infra suffraginem* etc., nisi quod Mo *intra* pro *infra* praebet.

P. 145, 6 *crura densis et longis capillis obsita indocilem et ferum hominem indicant. ima pars spinae et femora similiter capillosa idem indicant.* in neutro *idem* offenderer, etiamsi non versio Polemonis arabica fol. 39 v *femorum et coxarum capillus et eius copia reliquo corpore excepto vehementem veneris cupidinem indicat* et Adamantius p. 419, 6 **ὅσοις δὲ ὀσφύες καὶ μηροὶ χωρὶς τῶν ἄλλων μερῶν πολύτριχές εἰσι, λαγνείας εὐτυχοῦσι** plane aliud testarentur. ab *idem* tradito proxime aberit *libidinosum.*

P. 160, 4 *hi* (cum stultitia nocentes) *signorum non una ratione noscuntur. nam interdum alia signa gerunt quae explorata atque perspecta dabunt etiam in uno homine utriusque rei intellectum.* vox *alia* sine dubio labem contraxit et verba quae sequuntur *etiam in uno homine* digito monstrant lectionem *animalia*, quae quin genuina sit, dubitari non potest rationem habenti enuntiationis mox sequentis: *quo igitur magis hoc clarum atque certum sit, respiciamus ad ea a n i m a l i a, quorum unum quidem genus est atque unum nomen, animus autem et corporis qualitas diversa atque discreta.*

P. 161, 19 *tumentibus ciliis ita ut semper eum somno pressum esse diceres.* quoniam et B et Mo inter *eum* et *somno* particulam *vel* exhibent, apud Adamantium autem p. 447, 8 **κυλοιδιῶν ὥσπερ ἐξ ὕπνου καὶ κραιπάλης** extat, hoc loco *crapula vel somno* scribendum esse apparet. cf. p. 116, 13 *cilium est inflatum tanquam vena. quod cum ita est, somniculosum superius indicat, inferius vinolentum.*

P. 163, 9 *misericordem intelliges esse — coloris albi, nigris oculis, naribus ex superiori parte tenuioribus.* ut *nigris oculis* respondeat Aristotelico **λιπαρόμματοι** (p. 808 a 33), iam non, ut olim (annal. philol. l. l. p. 583) in *pinguibus*, sed in *nitidis oculis* corrigendum puto.

P. 164, 25 *exemplis igitur duobus vel tribus propositis erit hoc manifestius, quae signa sint optima. diximus etenim cavos oculos esse vitiosos: si igitur ad certam medietatem respiciamus, plani oculi erunt optimi. sed constituimus eos oculos esse optimos, qui aliquanto inferiores sunt quam plani.* hiat sententia. quomodo enim de certa medietate et de planis oculis sermo esse potest, ubi tantum cavi oculi commemorati sunt? si scripseris *et altos et cavos oculos*, hiatus ita expletur, ut simul duobus locis quos respexit auctor p. 123, 19 et 124, 14 satis fiat.

III.

Adamantii physiognomonica quomodo recensenda sint commentatione peculiari Philologi voluminі XLVI p. 250 sq. inserta ostendi; ad emendandam autem lectionem libri archetypi, e quo codices superstites fluxerunt, fontem uberrimum ex epitomis et Matritensi et Pseudo-Polemonis redundare ante hos quattuor annos libello academico inscripto de Polemonis physiognomonicis p. 7 sq. a me expositum est. sed vel sic magnus est numerus locorum, qui nisi viribus nostris sanari non queant. nonnullorum saltem emendationes his chartis proponam

P. 317, 8 *διόπερ τοῖς σώφροσι προσήκει πάσῃ σπουδῇ ταύτης τῆς τέχνης ἐκπονεῖν τὴν σημείωσιν· φυσιογνωμονεῖν δὲ μάλιστα σκοποῦντα τὸ ἐξηλλαγμένον παρά τε τὴν ἡλικίαν καὶ τὸ χωρίον εἶδος*. sententiarum nexus requirit, ut post *σημείωσιν* colon cum puncto mutetur et post *δὲ* verbum **δεῖ** inseratur.

P. 321, 5 *ἕτερος ἐὰν ἔχῃ σημεῖά τινα τοῦ δόλου ἢ ἀπάτην τινὰ τηρεύοντος, κἂν μὴ παρ' ὃν καιρὸν αὐτὸν ὁρᾷς δόλου τότε ἀρτύῃ τινός, τοῦτον ἀποφαίνου δολερόν*. corrigas **δόλον τότε ἀρτύῃ τινά**.

P. 323, 2 *ὅσοι δὲ αὖ εἰς γῆρας εἴδη διαφυλάττουσι παιδικά, οὗτοί εἰσι φιλοπαῖκται, φιλογέλωτες, κακῶν ἀπαθεῖς. ἁπλοῖ καὶ συνελόντα εἰπεῖν κατὰ τὸ εἶδος οὗ κέκτηνται*. in *οὗ* vitium latet, quod sanabitur scribendo *ὅ, τι*.

P. 329, 5 *ὅσοι δὲ καὶ τὰς ὀφρῦς ἐγείρουσι καὶ τὸ πνεῦμα ἀνασπῶσι, δύσβουλοι, ὠμόφρονες* apparet *ἐγείρουσι* in **ἐπαίρουσι** corrigendum esse.

P. 330, 8 *γλαυκοὺς ὀφθαλμοὺς πεπηγότας ἀλαμπεῖς ἔχοντι μήποτε φιλίαν συνάψῃς μηδὲ γείτονα σχεῖν ἢ πολίτην εὔξῃ· δολερὸς γὰρ αὐτὸς καὶ εἰς τὰ δεινὰ ἀγρυπνῶν ἐπὶ συμφοραῖς ἑταίρων*. nomen *πολίτην* in **συνοδίτην**, pronomen *αὐτὸς* in **οὗτος** mutandum est.

P. 332, 1 *καὶ οἱ μὲν μετὰ τῶν ὀφθαλμῶν κινοῦντες τὰ βλέφαρα ἐπιπλεῖστον καὶ ἀνάλκιδές εἰσι τὴν ψυχήν*. particula *καὶ* ante *ἀνάλκιδες* posita simul cum physiognomonia latina p. 119, 1 *timidi ac sine virtute sunt* adiectivum **δειλοὶ** ante *καὶ* excidisse demonstrat.

P. 336, 4 *ψηφίδες εἰσὶ κυαναῖ περὶ τὰς κόρας κατὰ μέγεθος κέγχρου*. pro *ψηφίδες* scribendum est **ψεκάδες**.

P. 340, 9 *ἐὰν δὲ ξηρότεροι ὦσι καὶ ἀναπεπταμένοι μὴ ἐνόντος τρόμου κακοὶ καὶ πονηροί, οὐ μέντοι κεχαρισμένοι χάρισιν ἢ ἔρωσιν, αἰδὼς δὲ σφᾶς περιλέλοιπε καὶ δίκη*. scribendum est non cum Pseudo-Polemone et editione Romana *προείληφε*, sed **προλέλοιπε**.

P. 342, 1 *οἱ δὲ χαροποὶ τοιοίδε εἰσίν· εἰ μὲν χροιὰ ἐπιπρέποι αὐτοῖς μέλαινα ὡς ἁπλῶς ἰδεῖν, ἐσαθροῦντι δὲ κέγχροι ἔνεισι πυρραὶ οὐ σφόδρα, αἱ δὲ λευκαὶ καὶ ἔτι λευκότεραι, ἄλλαι δὲ ὠχραὶ καὶ ἄλλαι τοῦ ὠχροῦ τῷ πυρρῷ μεμιγμένου ἢ τοῦ μέλανος τούτοις* pro *εἰ μὲν χροιὰ* cum codicibus Harleiano et Ambrosiano scribendum **ἡ μὲν χροιά**, deinde *ἐπιπρέποι* in *ἐπιπρέπει*, *ἔνεισι* in **ἔνεισιν αἱ μέν**, *ἔτι λευκότεραι* in **ἐπιλευκότεραι** mutandum, denique **κυαναῖ** post *καὶ ἄλλαι* inserendum est.

P. 344, 9 *αἱ δὲ αἱματώδεις τῶν κέγχρων ἐν τοῖς μέλασι φαρμακώδεις ἀνθρώπους μηνύουσιν*. vox *αἱματώδεις* pari columnae superioris loco posita in causa fuisse videtur, ut **φαρμακεῖς** in *φαρμακώδεις* corrumperetur.

P. 355, 4 εἰ δὲ ἐπὶ τοιούτοις ὀφθαλμοῖς ἐπισκύνιον βαρὺ θέει καὶ ὀφρύες εἰσὶ τραχυνόμεναι βλέφαρά τε ὀρθά, σημαίνει καὶ ἀλκὴν μετὰ εὐβουλίας. ultima duo vocabula editioni Parisinae debentur, quorum loco scriptura librorum μετ' ἀβουλίας reponenda, sed etiam θέει in νεύει mutandum est.

P. 356, 5 ὀφθαλμοὶ οἷς ἡδονὴ καὶ γέλως ἐνοικεῖ, οὐ πάντῃ ἀναίτιοι· εἰσὶ γὰρ καὶ ἐν τούτοις δολεροί, κρυψίνοι, κακομήχανοι, κακοῦργοι. pro πάντῃ ἀναίτιοι scribendum esse πάντες ἐπαινετοί non solum verba sequentia, sed etiam physiognomonia latina p. 126, 24 *non omnes laudabiles* docet.

P. 357, 1 καὶ εἰ τὰ ἐκτὸς τῶν ὀφθαλμῶν κινοῖτο, οἷον μέτωπον καὶ παρειαὶ καὶ ὀφρύες καὶ χείλη, κακὸς γέλως οὗτος· βουλὴν γὰρ ἐπιτείνει πονηρὰν ἢ πρᾶξιν ἄδικον σημαίνει. mendo in ἐπιτείνει verbo latenti facile medeberis scribendo ἐπί τινι. cf. p. 347, 4 κοίλων γὰρ καὶ σμικρῶν (ὀφθαλμῶν) ἤθη δόλια, ἐπίβουλα ἀνθρώποις et p. 364, 4 εἰ δὲ καὶ ξηροὶ εἶεν, ἐπιβουλεύουσί τινι ἢ δόλον κρύπτουσιν.

P. 357, 7 τοὺς δὲ καὶ μεγάλα γελῶντας ἐπιβουλοτέρους καὶ κακουργοτέρους μαντεύουσιν, εἰ ξηροὶ εἴησαν. pro μαντεύουσιν imperativus μαντεύου reponendus est.

P. 358, 10 ἐὰν δὲ συμμύωσιν αἱ ὀφρύες ὡς χαλαραί, καὶ τὸ μέτωπον χαλαρὸν ἅμα τῇ σκυθρωπότητι, πιστὰ τούτων ἤθη, βέβαια. verba συμμύωσιν αἱ ὀφρύες ὡς χαλαραί vitium contraxerunt: nam συμμύειν ad oculos ipsos pertinet nec cum ὡς χαλαραί convenit. itaque scribendum est ἐὰν δὲ συμμύωσι (sc. οἱ ὀφθαλμοὶ) καὶ αἱ ὀφρύες ὦσι χαλαραί.

Quovis sensu privus est locus, ut nunc legitur p. 362, 6 ὀφθαλμοὶ πυκνὰ ἀνοιγόμενοι ἐπὶ μέγα καὶ ἅμα ἱστάμενοι ἤ τι νοοῦντες ἢ μετανοοῦντες (τὴν γὰρ ἔννοιαν αὐτῶν ὁποία ἐστὶ σημαίνει) ἀπαγορευτέοι. τὸ ξηρόν, τὸ ὑγρόν, τὸ σκότιον, τὸ λαμπρόν, τὸ μικρόν, τὸ μέγα, τὸ κοῖλον, ὑψηλόν, μαλθακόν, ἀτενὲς καὶ τἆλλα ἐπὶ τούτοις ἃ πολλάκις εἴρηται. nec tamen fortem dices medicinam, quam adhibendam esse puto hanc: ὀφθαλμοὶ πυκνὰ ἀνοιγόμενοι ἐπὶ μέγα καὶ ἅμα ἱστάμενοι ἤ τι νοοῦντες ἢ μετανοοῦντες (sc. εἰσιν)· τὴν γὰρ ἔννοιαν αὐτῶν ὁποία ἐστί, σημαίνει καὶ ἀναγορεύει σοι τὸ ξηρόν, τὸ ὑγρόν, τὸ σκότιον, τὸ λαμπρόν, τὸ μικρόν, τὸ μέγα, κοῖλον, ὑψηλόν, μαλθακόν, ἀτενές, τἆλλα ἐπὶ τούτοις ἃ πολλάκις εἴρηται. ταῦτα μνημονεύων δυνήσῃ καὶ περὶ ὧν μὴ εἴρηται ἐξ αὐτοῦ κρίνων φυσιογνωμονεῖν, nisi futura σημανεῖ καὶ ἀναγορεύσει praeferenda erunt.

P. 371, 2 παρδάλεως (ἦθος) δὲ ἁβρὸν καὶ ὀργίλον καὶ λοχητικὸν καὶ ἐπίβουλον, δειλὸν ἅμα καὶ θρασύ, καὶ ἡ μορφὴ τούτοις ἔοικεν· ἄρκτος δὲ ὠμόφρων, δολία, σκαιά. καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ ζῴοις κατὰ τὰ αὐτὰ ἐπιφαίνεται τὸ οἰκεῖον κέρδος· συὶ ἀγρίῳ ὀργὴ ἀπρονόητος, βοὶ σεμνότης ἀκακία. vocem κέρδος corruptam esse Sylburgium non fugit, quam autem eius loco proposuit εἶδος a sensu huius loci aliena est; immo requiritur notio huic opposita ἦθος. cf. Arist. phys. p. 805^a 29 ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐπιφαινομένων, p. 806^a 29 ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐπὶ τοῦ προσώπου ἐμφαινομένων. similiter παθήματα in ἤθη corrigendum est ibidem p. 806^b 28 τὰ δὲ σχήματα καὶ τὰ παθήματα τὰ ἐπιφαινόμενα ἐπὶ τῶν προσώπων κατὰ τὰς ὁμοιότητας λαμβάνεται τῶν παθῶν.

P. 375, 7 τῶν δὲ ὀρνίθων ἀετοὶ ἀρρενωποί, πέρδιξ δὲ θηλύμορφος. singularem ἀετὸς recte codex Vaticanus praebet, sed ἀρρενωπόν, quod in omnibus libris est, mutandum in ἀρρενωπότατον, ut θηλύμορφον in θηλυμορφότατον.

P. 387, 9 κλεῖδες συμπεφραγμέναι οὐκ εὐαίσθητον οὐδὲ ἐνεργὸν σημαίνουσιν, αἱ δὲ διεστηκυῖαι ἄνανδρον, τὸ δὲ σύμμετρον τῆς ἀνοίξεως αὐτῶν συνετὸν καὶ ἀνδρεῖον. in voce ἀνοίξεως putaverim

ἀνέσεως latere coll. Arist. phys. p. 809b 26 *τὰ περὶ τὰς κλεῖδας εὐλυτώτερα μᾶλλον ἢ συμπεφραγμένα.*

P. 391, 8 *ὁπόσοις ὁ τράχηλος νεύροις κατατείνεται, σκαιοὶ οὗτοι. εἰ δὲ καὶ ἄλλα σημεῖα συμβαίνει, καὶ μωραίνουσι καὶ μανίας ἐπιλαμβάνονται.* genetivus *μανίας* in dativum *μανίᾳ* corrigendus et vocula *καὶ* ante *μωραίνουσι* delenda est.

P. 393, 1 *τραχὺς αὐχήν, ὥσπερ λοφιά, ἀμαθοῦς σὺν ὕβρει. τράχηλον πεπηγότα ἀκλινῆ σκαιὸν καὶ αὐθάδη· καὶ ἀμαθίαν δὲ ἀνατίθει.* post *αὐθάδη* inserendum est *λέγε.*

P. 394, 10 *ὁ δὲ ἐπικεκυφὼς τράχηλος δύναται μὲν μωρίαν, δύναται δὲ ἔσθ' ὅτε καὶ φροντιστὴν καὶ φειδωλὸν καὶ κακοήθη καὶ ἔξω ἁπλότητος καὶ εὐθυμίας καὶ ἁβρότητος σημαίνειν.* vox *ἁβρότητος* a sensu huius loci aliena facillima mutatione in *πραότητος* emendatur, cuius vestigia etiam in Pseudo-Polemonis p. 264, 1 lectione *λαμπρότητα* extant. idem docet *μωρίαν* in *μωρὸν* mutandum esse.

P. 398, 1 *χείλη δὲ ἐπὶ μικροῖς στόμασι λεπτότερα δεινῶς ἄνανδρον καὶ δολερόν.* vox *λεπτότερα* editione Parisina nititur; libri eius loco *λεπτόχειλα* praebent, unde efficio *λεπτὰ δειλὸν δηλοῖ καὶ ἄνανδρον καὶ δολερόν.*

P. 402, 4 *μέτωπον στενὸν οὐκ ἐλάχιστον σημεῖον ἀμαθίας· καὶ τὸ λεῖον δὲ μετὰ νωθείας ὡς τὸ πολύ.* altera sententia neque cum priore cohaeret neque per se intellegitur. pro verbis igitur *καὶ τὸ λεῖον δὲ μετὰ* scribas *καὶ τὸ λίαν δὲ μέγα.*

P. 406, 4 *ὦτα μεγάλα φοροῦσιν οἱ ἀναίσθητοι, μικρὰ δὲ κακοήθεις καὶ πανοῦργοι· ἑστῶτα δὲ λίαν μικρὰ καὶ ὥσπερ περιτετμημένα μωροί, τετράγωνα δὲ ὦτα μεγέθους αὐτάρκως ἔχοντα εὐαίσθητοι καὶ ἀνδρεῖοι.* articulus *οἱ,* quem Sylburgius e suo codice in textum recepit, propter concinnitatem ex eo removendus est. sed etiam in voce *ἑστῶτα* vetus vitium, quod etiam apud Pseudo-Polemonem redit, latet: sanatur scribendo *ὦτα.*

P. 407, 4 *κεφαλὴ μικρὰ πάνυ ἀναίσθητον καὶ ἀσύνετον σημαίνει, ἡ δὲ μείζων τῆς συμμέτρου εὐαίσθητον καὶ ἀνδρεῖον καὶ μεγαλοπρεπῆ, ἡ δ' ἀσύμμετρος εὐαίσθητον μέν, ἄνανδρον δὲ καὶ ἀνελεύθερον πάνυ, ἡ δὲ μεγάλη πάνυ δυσαίσθητον καὶ ἀμαθῆ.* vox *ἀσύμμετρος* aperte corrupta est. scribendum est *ἡ δὲ σύμμετρος,* ut legitur in physiognomonia latina p. 114, 17 *caput moderatum ingenium indicat sapiens et vigens sensibus, aliquando tamen timidum et minus liberale* et p. 165, 1 *diximus etiam enorme et nimium caput nec non et breve esse vitiosum: secundum hanc igitur definitionem mediae magnitudinis caput optimum debuit iudicari. sed iudicatur optimum caput quod aliquanto sit medio maius.*

P. 410, 4 *ἧσσον δὲ καὶ μᾶλλον ἑκάτεροι αὐτῶν ἕκαστα τούτων ἔχουσιν, ὅσῳ προσεχεῖς ἀλλήλων εἰσὶν ἢ πάλιν διαστήματι πλείονι κεχωρισμένοι τῆς μεσημβρίας ἢ τῆς ἄρκτου.* Vocibus *ἑκάτεροι αὐτῶν* significantur *οἱ ὑπὸ τῇ ἄρκτῳ οἰκοῦντες* et *οἱ ὑπὸ τῇ μεσημβρίᾳ.* hos autem elucet singulas proprietates, quas auctor modo enumeravit, non eo magis habere, quo viciniores inter se, sed quo viciniores aut remotiores vel a meridie vel a septemtrione sint. itaque *μᾶλλον* pro *ἀλλήλων* scribendum est.

P. 410, 9 *οἱ δὲ ἑῷοι καὶ ἑσπέριοι, καθὸ μεσημβρινώτεροι καὶ ἀρκτικώτεροί εἰσιν, αὐτοὶ ἑαυτῶν διαφέρουσιν. ἔχουσι γὰρ διαφορὰν τινῶν, οἱ τὰ ἄκρα τῆς Λιβύης τὰ ἑσπέρια νεμόμενοι, καὶ Ἰβήρων οἱ εἰς τὴν ἔξω θάλασσαν καθήκοντες· καίτοι ἀμφότεροι ἑσπέριοί εἰσιν, ἀλλὰ οἱ μὲν Λίβυες Αἰθίοψιν ὅμοιοι, οἱ δὲ Ἴβηρες Κελτοῖς.* vocabulum *τινῶν* vitium contraxisse patet, sed quod Sylburgius et Vulcanius eius loco proposuerunt *τινα* neque per se placet neque summae quae in tota

sentententia regnat concinnitati satis facit. huic optime consulitur scribendo Λιβύων. et revera Pseudo-Polemo p. 183, 3 praebet ἔχουσι γὰρ διαφορὰν Λίβυες οἱ τὰ ἄκρα τῆς Λιβύης τὰ ἑσπέρια νεμόμενοι.

P. 413, 9 δῆλον δὲ ἀπὸ τῶν προλελεγμένων, ὅτι μέλαινα χροιὰ δειλίαν καὶ πολυμηχανίαν μηνύει, ἡ δὲ λευκὴ καὶ ὑπόξανθος ἀλκὴν καὶ θυμὸν λέγει. particula ὅτι tantum editionis Parisinae est; e lectione librorum ὅσοις μὲν facile effulget ὡς ἡ μέν.

P. 421 7 περὶ δὲ κινήσεως τάδε ἴσθι, ὡς τὸ μὲν αὐτοφυὲς αὐτῆς καὶ ἀπρονόητον χρὴ διαγινώσκειν κατα τὸ πρέπον, ὅσοι δὲ σχηματίζουσιν ἑαυτοὺς καὶ κινοῦνται, ἐπιτετευγμένους φυσιογνωμόνει καὶ τούτους. neque lectio ἐπιτετευγμένους, quae est in Marciano, neque ἐπιτεταγμένους, quae in Sylburgii codice, sensui satisfacit. deest adverbium cum κινοῦνται coniungendum. itaque scribo ὅσοι δὲ σχηματίζουσιν ἑαυτοὺς καὶ κινοῦνται ἐπιτετηδευμένως, φυσιογνωμόνει καὶ τούτους collato p. 423, 8 καὶ χωρὶς δὲ τούτου τὸ ἐπιτηδευόμενον αὐτῷ οὐκ ἁπλῶς (corr. οὐ χαλεπῶς) ἄν τις καταμάθοι.

P. 423, 2 τὸ δὲ τρίτον εἶδός ἐστι τῶν ἀνδρογύνων μὲν ὄντων φύσει, πλαττόντων δὲ αὐτοὺς εἰς τὸ ἀνδρεῖον· διὸ ὑφορῶνται ῥᾳδίως. Καὶ γὰρ βάδισμα καὶ φθέγμα καὶ βλέμμα μιμεῖσθαι σπουδάσαντες ἀνδρός, εἴπερ ἐξαίφνης φοβηθεῖεν ἢ καὶ ἀνιαθεῖεν, ταχὺ παλινδρομοῦσιν εἰς τὴν ἑαυτῶν φύσιν. particula διὸ locum habere non potest, sed etiam verbum ὑφορᾶν a sensu huius loci absonum est. itaque scribo οἳ φωρῶνται ῥᾳδίως.

P. 424, 3 ταχυτὴς δὲ ἐν κινήσει ἅμα μὲν ὀρθότητι καὶ λαμπρότητι εἶδος θερμόβουλον ἐγχειριστὴν δραστὴν ἔφηνεν. pro εἶδος accusativo sine dubio εἴδους genetivus restituendus, sed etiam ἐγχειριστὴν in ἐγχειρητὴν mutandum et οὐ δράστην scribendum est. J. G. Schneider sane μᾶλλον ἢ ante δράστην inserere volebat coll. phys. lat. p. 147, 7 *aggrediatur res agendas quam perficiendas*, sed οὐ ut praeferam, suadet non solum epitome Matritensis quae φυλακτήν praebet, sed etiam auctoritas Aristotelis phys. p. 813ᵃ 9 βραχυβάμων ταχυβάμων ἐπιθετικός, οὐ τελεστικός.

P. 425, 9 χεῖρας δὲ καὶ πόδας καλὸν ἐπιφωρᾶσθαι ἔχει κατὰ ταὐτὸν τῷ παντὶ ἐπὶ κινήσεως verba, ut Franzius ex editione Romana recepit, sensu cassa sunt. in libris est ἐστι φωρᾶσθαι ἔχειν, unde extricaverim χεῖρας δὲ καὶ πόδας καλόν ἐστι φορᾶς τε ἔχειν κατὰ ταὐτὸν τῷ παντὶ <σώματι> καὶ κινήσεως.

P. 430, 4 ὅσοι δὲ μαλακόν τι καὶ βαρὺ φθέγγονται, ἤπια καὶ τούτοις τὰ νοήματα. pro τι quod ferri non potest τε scribendum est.

P. 431, 8 εἰ δέ τι, καὶ ἄλλο φωνεῖ τῶν ζώων, πρὸς ἕκαστον, ὅταν τις ὅμοια φθέγγηται, ἀναφέρειν τε καὶ διαιρεῖν χρὴ εἰς τὸ ὅμοιον ἦθος. haec scriptura quae et librorum et editionum est sensu caret. qui facile in hunc modum mihi restitui videtur: εἰ δέ τι ἄλλο, καὶ φωνὴν τῶν ζώων πρὸς ἕκαστον, ὅτῳ ἄν τις ὅμοια φθέγγηται, ἀναφέρειν τε καὶ διαιρεῖν χρὴ εἰς τὸ ὅμοιον ἦθος. pro ὅταν iam Sylburgius „ᾧ ἂν seu ὅτῳ ἂν" scribere voluerat. ad prima verba cf. p. 316, 4 θείων δὲ ἀνδρῶν, εἴπερ ἄλλο τι, καὶ τὸ φυσιογνωμονεῖν εὕρημα.

IV.

Qua via ac ratione Graecorum doctrina physiognomonica et ad Arabes migraverit et a viris doctis christianis propagata atque exculta sit, duabus commentationibus quae inscriptae sunt ‚de Polemonis physiognomonicis' et ‚de Aristotelis quae feruntur secretis secretorum' exposui. obscuritate tamen involuta adhuc iacet ‚physiognomonia Avicennae'.

Peculiari quidem opere clarissimum illum medicum et philosophum de physiognomonia egisse nusquam, quod sciam, traditum est, et egregie erraret qui hoc concludere vellet e verbis Alberti Magni de anim. I, 2, 2 (opp. VI p. 20): ***ut autem melius sciantur ea quae dicenda sunt, ponemus singulorum membrorum per se significationes, sequentes auctores magnos huiusmodi artis, Aristotelem videlicet, et Avicennam, Constantinum, et ipsum quem commendat Aristoteles Philemonem, Loxum quoque, et Palemonem declamatorem, qui de physiognomia perfectius caeteris tradiderunt.*** re enim vera Albertus physiognomoniam latinam quae fertur Apulei et ‚secreta secretorum' secutus est et paucissima ex Avicenna et Constantino inseruit, quocum fere congruit quod ipse paulo post (I, 2, 10 p. 38 a), ubi de mento agit, testatur: ***physiognomia horum ex sententiis Palemonis potissimum est colligenda, et Avicennae et Constantini philosophorum quaedam sunt annectenda,*** haec autem paucissima ex opere illius potissimo Canone inscripto fluxerunt, ut I, 1, 2 p. 21 a ***Avicenna autem dicit, quod multa ultra modum capillorum densitas et grossities in iuventute maniam in processu temporis futuram praeloquitur*** = Avic. Canon. I, e, 3 p. 124a, 29[1]); Alb. I, 2, 20 p. 59 = Avic. I, 1, 5, 4 p. 69b, 62; Alb. I, 2, 26 p 77 = Avic. I, 2, 3 p. 120b, 10), et Ioannes Baptista Porta qui saepius (p. 52, 53, 54, 58, 59, 65, 75, 78, 80, 84, 152, 153, 155, 158, 159, 228, 229, 272 ed. Rothom. 1650) in opere de humana physiognomonia placita Avicennae commemoravit, diserte bis (p. 65 et 75) Canonem, semel (p. 78) Cantica ut fontem laudavit[2]).

Praetermissis autem illis placitis ab Avicenna his duobus operibus occasione data inspersis, quae magis ad complexiones corporum spectant, singulare eius de physiognomonia opus exstitisse in tanto tot testium silentio negaverim.

Avicennae sane nomen prae se fert libellus physiognomonicus in codice Musei Britannici Sloaniano 2030 saec. XIV fol. 99a (= 103a) — 104a (= 109a), cuius in fronte legitur: ***Incipit physionomia Avicenne*** et incipit: ***Vox grossa caliditatem designat complexionis, gracilis vero minuit frigiditatem loquendi,*** sed mentitur. re enim vera, ut ex apographo ab Ottone Mensing, seniore seminarii philologici nostri, dum aestate praeterita Londini versatur, officiose meum in usum confecto cognovi, est physiognomonia Rhasis, quae partem efficit operis illius clarissimi de medicina ad Almansorem lib. I cap. 16—57 ***(de qualitate eunucorum et castratorum),*** et e codice eiusdem generis manasse putanda est versio sermone vetere gallico facta et inscripta ‚Avicenne en roumauns', quam simul cum versione italica ab hac suspensa e codice Marciano edidit E. Teza in libello inscripto ‚La Fisiognomia, trattatello in Francese antico colla versione del trecento, pubblicato la prima volta sui codici per cura di E. T. presso Gaetano Romagnoli (Bologna) 1864'.

Etiam minus Avicennae tribuere queo alterum libellum cum Rosio Anecd. I, 76 dicente: ***„der physiognomische Tractat des Avicenna kommt sehr häufig in Handschriften vor, teils mit teils***

---

[1]) Usus sum editione Avicennae librorum in re medica omnium qui hactenus ad nos pervenere, Venetiis anno 1564 foras data.

[2]) Totus ex Alberti de animalibus et Portae de humana physiognomonia operibus fluxit liber rarissimus, cuius titulus est: „Albertus des Grossen Kunst die Menschen kennen zu lernen. Ursprünglich aus alten Handschriften gezogen, und jetzt zum ersten Male deutsch herausgegeben von Ephraim Benson. Mit physiognomischen Bemerkungen von Adamantius, Aristoteles, Averroes, Avicenna, Conciliator, Ephesius, Galenus, Hippokrates, Meletius, Plinius, Plutarch, J. B. della Porta, Polemon, Rhases u. a. auch einer summarischen Darstellung des Gall'schen Systems und zwölf Kupfern. Reuttlingen, bey Maecken jun. Nro. 566", etsi editor p. IV Alberti placita partem operis de animalibus efficere ignoravit.

ohne seinen Namen, durch Schreiberleichtsinn auch mit dem falschen Namen des Aristoteles, z. B. phisnomia Aristotelis philosophi cod. Harl. 3469 f. 36 und Cotton. Julius D. VIII f. 126. Die Anfangsworte sind: Elegans est nature cognicio que per exteriores formas et interiores investigat qualitates. nam haec plurima e parte correctionem requirunt. ac primum quidem codex Harleianus 3469 illum libellum omnino non continet. videtur Rosius in animo habuisse codicem Sloanianum 3469 saec. XIV, qui sane hunc libellum exhibet, sed Aristotelis nomine insignitum (fol. 34: *Incipit phisnomia Aristotilis philosophi*). idem cadit in codicem Cottonianum Jul. D. VIII, qui libellum cum hac subscriptione praebet (fol. 131): *Explicit fideliter phisonomia aristotilis.* reliqui autem codices quos equidem novi libellum sine nomine auctoris exhibent. desunt quivis titulus et subscriptio in codice Sloaniano 3124 fol. 84, nisi quod manus recentior saeculi XV vel XVI in margine posuit verba: *Liber de Philozomia.* in codice Oxoniensi Colleg. Omn. Anim. 81 saec. XV fol. 215 inscriptus est: *Liber de physiognomia.* simillime denique res se habet in codice Erfurtensi Amplon. Fol. 32. inscriptio est in fol. 74: *Incipit Liber Physonomie*, ad quam manus recentior in margine notavit: *aut duas fecit phisonomias aristoteles aut haec non est eius,* et subscriptio in fol. 78 b: *Explicit phisonomia que usque ad guttur nobis cognitionem dedit.*

Sed etiamsi Avicennae nomen testimonio niteretur, sunt quae hunc pro auctore haberi vetent. libellus enim, qui primum de effectu sanguinis, cholerae, flegmatis, melancholiae et planetarum, deinde copiosissime de capite, capillis, fronte, superciliis, oculis, naso, labiis, dentibus, brevius de mento, auribus, facie, collo, gutture agit atque desinit: *Hiis fideliter instructus cautus phisionomicus perfectam in omnibus sibi comparat cognitionem,* in codice valde corrupto Amploniano tale habet exordium: *Elegantius*[1]) *est nature cognitio que per exteriores formas interiores investigat qualitates. id autem efficit per physionomice compendium scientiae. dicitur autem physonomia a physis quod est natura et conomos quod est divinatio . . . . subtilior autem et manifestior naturae cognitio, secundum quam exterius in superficie linea manifestat. hanc autem in nomine Christi hoc in opere nostro primum deposcimus*[2]). ultima verba Avicennam excludunt aeque atque Averroem[3]), quem auctoris loco habuit Amplonius in catalogo codicum suorum hoc opusculum describens verbis: *Liber Averroys commentatoris de phisonomia.* quocum convenit, quod inter pauca illa placita Avicennae, quae supra laudavi, et hoc opusculum nulla est consensio.

Nomen igitur auctoris adhuc latet, quod eruendum aliis relinquo, quibus haec provincia evenit. ego satis habeo adnotasse eum non e graecis fontibus libasse nec me paenitet coniecisse eum, ut Constantinus Africanus, si minus ex oriente ortum, certe aliqua necessitudine cum hoc coniunctum fuisse. largissimus enim est in discrimine nigri et albi coloris exponendo. quod ut quivis examinare possit, speciminis loco in has chartas transferenda curavi, quae de capite protulit, quod *in humano corpore ceteris principalibus principaliorem et certiorem habere significationem* dicit. sunt autem haec:

Caput rotundum in eminentiori loco et ad modum coronae se habens procul dubio consultum providum mansuetum facundum iram celantem amabilem, si album, significat durum ingenium et memoriae tenacis[4]) *et prodigum, si nigrum, capacis ingenii et tenacis memoriae, levis irae et constantis*

[1]) Corrige: *Elegans.*

[2]) Corrige: *exponimus.*

[3]) Averroem de physiognomonia scripsisse hau scio. loci singuli quos Porta l. l. (p. 62, 64, 65, 75, 142, 231, 305 320) ex illius opere Colliget inscripto protulit, non tam ad physiognomoniam, quam ad complexiones spectant.

[4]) Codex: *et tenacis.*

amicitiae et veri sermonis, si citrinum, valde benignum et largum socialia federa perfecte servantem et constantem, si rufum, non adeo facundum nec iras occultantem[1]*), satis amabilem et sapientem, sed minus in sermone credibilem, peroptimae memoriae et ingenii capacis, si fuscum, valde modestum in sermone benignum, multum lascivum et celantem, perfectae societatis et benignae rationis. Capud oblongum in eminentiori parte significat hominem*[2]*) perspicacis ingenii inconsulte*[3]*) multa facientem, impetuosum levem mobilem iracundum, non bene secreta celantem, non naturaliter lascivum, in sermone acutum, ratione commendatum, in actibus disponendis minus providum, suos valde diligentem, perditae rationis in usu impetuosae naturaliter, avarum tamen, si nigrum, levis ingenii et nullius fere rationis, in ira vix dominis obedientem, amata facile relinquentem, valde impetuosum, si rufum, peroptimi ingenii, superbum et indignantem facile, maledicentem, sed amabilem et largum, si fuscum, levem et lascivum liberalem inconstantem et mendacem. Capud in eminentiori*[4]*) loco quadratum significat bonae moralitatis hominem et amicitias perfectius servantem humilem mansuetum pium benignum non multum irascibilem*[5]*) providum sapientem, sed avarum, in sermone maledicum*[6]*), gloriam et favorem hominum multum appetentem, si album, minus humilem, plus avarum, amabiliorem et iocundiorem, si*[7]*) nigrum, constantiorem in animo, amicitias perquirentem et diu servantem, valde lascivum et bene secreta celantem, si rufum, peroptime disponentem de rebus utilibus et inutilibus, bene circumspectantem, nil adulantem, sed*[8]*) per iras leviter mentientem, si fuscum, ceteris meliorem et modestiorem, sed facilius mentientem. Caput in eminentiori loco triangulum significat avarum subdolum versutum arrogantem,*[9]*) frequenter infirmantem, saepius dolore capitis laborantem, ingeniosum mendacem invidum et alienis multum actibus detrahentem, si album, minus malitiosum, si nigrum, plus perniciosum et facilius in temeritatis offensam prorumpentem, si rufum vel citrinum, superbiorem*[10]*), sed amicis liberaliorem, si fuscum, ceteris huius maneriei meliorem.*

---

[1]) Cod. *ocultantem.*
[2]) Cod. *homine.*
[3]) Cod. *incosulte.*
[4]) Cod. *eminetiori.*
[5]) Cod. *irasciblem.*
[6]) Cod. *medicum.*
[7]) Cod. *Ni.*
[8]) Cod. *per sed.*
[9]) Cod. *arrogatem.*
[10]) Cod. *superiorem.*

Iam hoc quaestionum philologarum campo spinoso relicto ad maius negotium nos convertamus officiumque omnium laetissimum obeamus.

Appropinquat dies faustissimus, quo Augustissimus ac Clementissimus Princeps, Germanorum Imperator Rex Borussiae GVILELMVS II lucem adspexit. Hunc diem exoptatissimum cum universa patria academia nostra votis pientissimis salutabit. Indicenda igitur sunt sollemnia, quae ab universitate Christiana Albertina in magna aula die XXVII mensis Ianuarii hora I post meridiem celebrabuntur, in quibus communem laetitiam oratio ab eloquentiae professore Richardo Foerstero patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, eo quo par est obsequio atque observantia HENRICVM Principem domus Borussicae generosissimum academiae nostrae faventissimum, magistratus Imperatorios Regios perillustres et civiles et militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, gymnasii scholaeque realis superioris praeceptores honoratissimos nec non viros spectatissimos ornatissimosque qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XII mensis Ianuarii MDCCCLXXXX.



